



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. III LITTERAE APOSTOLICAE **MATERNUM DEIPARAE** ECCLESIAE CATHEDRALI  
ASSUMPTIONIS BEATAE VIRGINIS MARIAE  
IN DIOECESI PINSKENSI LATINORUM BASILICAE MINORIS DIGNITAS TRIBUITUR Ad perpetuam rei memoriam. —  
Maternum Deiparae auxilium merito quaerit populus christianus, praesertim cum variis in necessitatibus versatur: «In  
caelis enim assumpta salutiferum hoc munus non depositit, sed multiplici intercessione sua pergit in aeternae salutis  
donis nobis conciliandis» (*Lumen gentium*, 62). Libentes igitur accepimus postulationem Venerabilis Fratris Nostri  
Casimiri Swigek, Archiepiscopi Minskensis-Mohiloviensis atque Administratoris Apostolici Pinskensis Latinorum, qui petit  
ut ab Apostolica Sede titulo Basilicae Minoris honestaretur ecclesia cathedralis Beatae Mariae Virgini in caelum  
Assumptae dicata, in qua omnia instituta ad cultum sollemniorum necessaria accommodata sunt nec non divinae  
consolationes copiose a populo affluente recipiuntur. Die quidem XI mensis Maii, anno MCMXCV, eidem Praesuli coram  
Nobis praesenti desideratum gratiam concedimus, quam nunc his Litteris Apostolica Nostra potestate confirmamus,  
decernentes ut supra dictum templum dignitate Basilicae Minoris frui possit, iuribus additis et privilegiis huiusmodi  
templorum propriis, servatis vero iis quae servanda sunt secundum Decretum «de titulo Basilicae Minoris» die IX mensis  
Novembris anno MCMLXXXIX evulgatum. Contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum  
Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Februarii, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri duodevicesimo. ANGELUS  
card. SODANO*

*Secretarius Status © Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana*

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana